21

IOANNIS CRÜGERI,
Philoſoph. & Med. Doctoris, J. U. C. Illuſtriſſ. S. R. I.
Comitis Schönburgici Pönicenſ. & Glauchavienſ. Archiatri,

TRACTATUS DE VIRGINE, CHLOROSI LABORANTE,

Aut

GERMANICE

on der Jungfer-Kranckheit / Jungfer-Sucht / das Jungfern-Sehnen oder Jungfer-Fieber.

Franckfurt Anno 1715.

12

VIRIS

SUMME REVERENDO, PRÆ-NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CO
SULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMO & PRUDENTISSIMIS,

DOMINIS

DN. M. DAVIDI SCHINDLERO

Sacræ Cæsar. & Reg. Majest. Consistorii, quod Lignicii floret, Consiliar
quam gravissimo, Superintendenti & Pastori ad B. Virg. Primario longe
meritissimo, Inspectori Eccles. & Schol. Augustan. Con-
fession. addict. celeberrimo.

DN. J. BERNH. BERCKELMANNO

JCto famigeratissimo, Sacr. Regiæ Majest. Boruss. Commissario
& Directori Accisarum & Tributorum spectatissimo,
Consuli gravissimo,

DN. JOANNI PETRO THIELIO

J. U. D. famigeratissimo, Profess. Publ. Extraordinario & Civitatis
hujus Syndico gravissimo.

DN. JO. GEORG. LANCKISCHIO

Med. Doct. celeberrimo & Practico Lignicensi felicissimo.

DN. JOANNI LANGROCKIO

JCto præclarissimo & Dynastiæ Sprembergensis in Lusatia
Inferiori Præfecto quam gravissimo.

DN. J. MARCEL. WESTERFELDIO

Senatori celeberrimo & Pharmacopæo felicissimo.

DN. MELCHIORI GENGIO,

Factori Salis Cæsareo, Senatori & p. t. Prætori spectatissimo
& Pharmacopæo celeberrimo.

PATRONIS RESP. FAUTORIBUS ac AMICIS HONORATISSIMIS,
Felicit atem & Vitam longævam!

ri summe Reverende, Pre. Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissime atque Prudentissimi,

tatroni resp. Fautores & Amici omni veneprationis & amoris cultu κατὰ παντὸς prosequendi, amplectendi.

GRatulandum mihi venit, quod voti mei jam dudum flagrantis animo nunc auxilio Jovæ Ter Optimi Ter Maximi singulari compos ita videar factus, ut occasionem commodissimam in hac Academia Regia per totum Tractum Europæum celeberrima primum quidem, sed alias ordine um Casum Medicum rudi conscriptum Minerva, de Virgine, Chloaborante, agendum, publicis Typis exscribendi me putaro nactum & exoptatissimam, idque circo faustum ducturum.

Cum autem pro more Literatorum non injustum arbitrer me fam, quod *VESTRIS NOMINIBUS celeberrimis & splendidissimis* rem huncce meum exiguum, partim illum afficiendo eo splendiem & celebratiorem, partim observantiam meam debitam, aniinque pro *Vestra, Patroni honoratissimi*, minime vulgari in me uberante aliquot annorum spatium collata benevolentia & amicitia reoca gratissimum testando, partim & pariter quoque favore haud fu- & amore *VESTRUM* ulterius fruendo, mihique istum non gravatim municando, dedicare simulque de meliori offerre, & cum voto igenæ prosperitatis & incrementi splendidissimo consecrare jam au-n.

Suſcipite igitur, quicquid ſit, *Patroni & Fautores honoratiſſimi* conſideratione expendite multo potius ad grata officia nullo non te pore devinctum & promtum animum offerentis, quam quod offer hoc eſt, Caſum ſi huncce viliſſimum qvidem, tamen curatu δύσφορον, h aſpicere dedignemini, magis pretium quoddam in ſplendore & me præcipuis *Veſtrum honorificorum Nominum*, quam in hocce labore æſtumando quærite, id enim futurum mihi in fœnus magnum ve certo perſvaſum habeatis.

Cæterum Deum Omnipotentiſſimum calidiſſimis ſupplex ve raturus precibus, velit *VOS Patroni, Fautores ac Amici Venerandi*, ad lios annos usque ſoſpites præſtare, ridentes & incolumes una cum T Familia Veſtra celeberrima, quo Conſilia Veſtra graviſſima & ortho xæ Religioni & Republ. maxime neceſſaria in fructum omnium i gnem haud infeliciter vergant, qvo pariter & plurimi de his ulterius g dere poſſint. Valete & favere pergite

Summe Reverendi, Præ-Nobiliſſimorum & Amplis ſimorum Veſtrum Nominum

Feſtinante calamo,
E Muſeo,
Francofurti ad Viadrum
Idus IV. Calend. Sept.
1710.

Devinctiſſimo & officioſiſſimo Cultori

JOANNI CRÜGERO, I

B. C. D.

Procœmium
ad
Lectorem minime fucatum.

QUemadmodum vita, sanitas & pulchritudo hominis alicujus consistit in calido, omnium vitalium & animalium functionum opifice, h. e., particulis sangvinis & spirituum oleosis, balsamicis, γλισχροῖς & sulphureis proportionatis & æquilibrium observantibus; & humido, calidi pabulo, i. e. particulis seri pingvibus, viscosis & dis æqualiter cum calido in quid agente, temperatis & se se habentibus; Ita morbus & deformitas pariter con- quoque ex illis, si nimirum vel calidum, vel humidum prædominio & subdominio ad supprimendum aut ex- dum hujus vel illius affectum, qualitatem & gradum, que mutationem subitam in tota machina microcosmi- æque periculosam exinde factam, quia corpus nostrum i momento mutationibus tum intrinsecis, tum extrinse-

cis esse subjectum in hoc mundo haud ignotum unicu
habetur, imo mortem ipsam aliquando inducere haud
culter potest hæc inæqualitas.

Tale Exemplum ante oculos nobis Virga nostra, C
rosi laborans statim ponit, quæ facie antea pulchra natura
minime fucata alias gaudebat, fragili hoc sequioris sexus
namento, forma & amœnitate, variis modis vicissitudi
sorruptelæ insigni non raro subjecta, ut sextus noster C
Medicus, (primus enim egit de Morbo Litteratorum, sec
dus de Fœmina, Febri Petechiali, tertius de Fœm
Phthisi hereditaria laborante, quartus de Virgine in
cendio Sprembergensi a fumo & vapore retro quasi r
tua, quintus de Puero egit Catochico,) aut historia sequ
nos luculenter docet, ad quam sine multis ambagibus pe
figimus.

HISTORIA.

Virgo quædam pia & honesta, XIX. annorum, & q
excurrit, Temperamenti plethorico-phlegmatici & hab
corporis bene carnosi die 14. Julii 1707. in consangvinei
cujus nuptiis hilarem se exerit nimisque saltat cum juv
bus, motum autem post & exercitium corporis totius in
tando forsan magnum cerevisiæ potum sumit, adeo, ut
tim male se haberet, & sensim sensimque lassitudinem to
corporis cum gravitate & levi intumescentia Ventriculi,
lidum & album faciei colorem, difficilem respirationem,
lorem capitis, palpitationem cordis & anxietatem pariter
tiret pleuritidemque bis mensium quoque evacuatio
pressa illi esset; In appetentia ciborum & cerevisiæ triti
nausea, vomitu frequenti & ructu gauderet: Horror
antemeridiano præsertim tempore sequeretur febris co
nua; Pulsus celer & frequens & Urina alba, crassa & muc
appareret.

RESOLUTIO.

§. I.

Antequam morbi hujus virginei Essentiam & Naturam deramus, primum inspiciamus Etymologiam, Homo- am & Synonymiam. Quod attinet Etymologiam; est Græcanica a Symptomate mutatarum qualitatum dedu- e χλωρὸς per crasin quasi χλοσρὸς vel χλοπρὸς, item quæ omnia collective sumpta notant colorem palli- Dicitur alias chlorosis quoque χλωρίασις, χλώρασμα, ppocrate, χλωρότης, λαμπὸν διαυγεμένη καὶ ἐπὶ τὸ ὑδαρῶδες ra.

§. II.

Quod Homonymiam concernit; Chloroseos vocabu- σεινικῶς acceptum, significare sciendum, quemlibet palli- & vitiosum corporis tum totius, tum partis alicujus ha- non solum virginibus, viduis & mulieribus, sed & viris iarem; Virginibus & Viduis autem competit præsertim oforum, a Diætæ regimine inordinato illatorum, sangvi- e puriori communicatorum & mixtorum per menstru- uxum alias excernendorum emansione, retentione si- que obstructione; Viris quoque & mulieribus contin- æc corporis habitudo pallida & deformis, a depravata o- nutritione, particulis sangvinis sulphureis oleosis & bal- cis a seri quantitate, qualitate & motu, h.e. ab humoribus bus, salsis, acidis, heterogeneis alias nimis depressis & o obtusis, ut saltem centraliter & quasi sepultæ maneant assivæ partes istæ sangvinis supra jam laudatæ, quippe c ob causam fluxus illius ordinatus a centro ad periphe- , id est, a Corde ad reliquas machinæ microcosmicæ par- impeditur & destruitur.

§. III.

§. III.

Quod Synonymiam hujus chloroſeos, apud La
diverſimode nominatur. Alii enim vocant febrem v
num, ſ. virgineam, ſ. albam & febrim amatoriam, non
ſemper febris ſit annexa, ſed, quia affectæ ſpeciem fe
tantium cum colore pallido ad luteum, viridem, inter
& lividum & plumbeum declinante, virium langvore
debilitatem, pulſus celeritatem & frequentiam, quæ qu
non propter caloris augmentum, quia potius adſit inte
ries viſcerum frigida & pituitoſa, ſed ob ventilationis &
tationis defectum & Spirituum vitalium ſuppreſſione
utplurimum ſuffocationem oriuntur, præ ſe ferunt.
mus autem, quod non ſemper febris ſit annexa, quippe
grota noſtra febricula cum horrore & frigore præceden
ſubſequente & quidem tempore antemeridiano erat
Ventriculi, totius corporis, coqui & diſtributoris ſucc
alimentoſorum compreſſione valde moleſta & dolente
vero appellant morbum virgineum, quod virgines nu
ὡς ἐπὶ τὰ πολλὰ pariterque pulchriores hoc afficiantur;
dam abſolute vocant pallorem virginum, vel defœdatio
virginum ob colorem faciei inprimis pallidum & defor
aſpicientem, ictericiam albam, icterum quoque album;
liter cachexiam ſimplicem, ſive habitudinem totius co
ris malam ac depravatam virginum. Germani voc
Die Jungfer-Kranckheit/ das Jungfer-Fieber/ die J
fer-Sucht.

§. IV.

Expendente ſic hactenus breviſſimis Nomine huju
fectus Verbali ad Reale Nomen Chloroſeos accedendu
quum eſt. Hoc autem conſiſtit præferenda vera & p
cta definitione, quæ quidditatem & eſſentiam hujus affe
ex ſententia exhauriat, copia enim ſymptomatum varic

ic narrandorum & explicandorum eſt diverſa, diverſi etiam d definitionem hanc recte ponendam & illuſtrandam inve- iuntur Autores; obſervaturi tantum illam, quæ ſenſibus eſt anifeſta & ad ſymptomata qualitatum mutatarum commo- relaturi ſumus.

§. V.

Definitio vero ſic ſe habet: *Chloroſis eſt coloris vividi, rubi- ndi & roſei in tota machina microcoſmica inpr. autem in facie in allidum colorem mutatio, cum virium langvore, difficili reſpiratione, olore capitis, palpitatione & anxietate cordis, menſium evacuatione ppreſſa aliisque ſymptomatibus gravibus annexa, ab imminuta & pravata nutritione, & vaſorum circa uterum obſtructione inprimis riginem trahens.*

§. VI.

Nemo autem mirari debet, cur chloroſin ad ſymptoma- m ordinem & qualitates mutatas inprimis referamus, quia orbum ſemper iſtis partibus, in quibus affectus apparet, ſignari & tribui ſtatuimus, ſi nimirum a ſangvine vitioſo ala fit & depravata nutritio in peripheria corporis & inde cuta obſtructio pororum, ut in ſcabie, menſium evacua- one ſuppreſſa; aut ſi color a ſangvinis vitio in totum muta- r, ut in noſtro affectu potiſſimum, a potiori quippe fiat de- ominatio; τὸ χρῶμα γὰρ τῶν σχυμῶν, colorem, aut coloratio- em ad humoribus eſſe, Cous affirmat, quibus de infra pro- xius paulo dicturi ſumus.

§. VII.

Aſt *Formalis Cauſa*, quæ eſt coloris vividi, rubicundi & oſei a ſangvine bene conſtituti ad pallidum & virioſum mu- atio, exprimitur a *Coo Medicorum omnium facile Principe* his ver- is elegantiſſimis: ὅπῃ μὴ ἀμπωτίσεῖ τῶν χυμῶν ὥσπερ ἀνθέων.

Nisi isti humores ad profunda corporis se receperint, velut in cute ef floreſcens conſpicitur & advertitur.

§. VIII.

Subjectum principale & inadæquatum Chloroſeos jam ſpe ctandum nobis venit, eſt autem jure merito Uterus ſympto matum omnium reliquorum ad affectum noſtrum pertinen tium, & aliorum morborum huc non ſpectantium alias Au tor primarius; Et ſic de uteri ſubſtantia & ſtructura qui dicere non de nihilo exiſtimamus ad eo melius explicar dum affectum noſtrum. Structura illius autem *in Tau Anatom. rational. pag. 201. cap. 12.* brevi deſcribitur, quod habeat quoad figuram fere inſtar lagenæ inter veſicam & in teſtinum rectum ſitæ, atque major vel minor pro ætatis conſtitutionis diverſitate exiſtat; Majorem eſſe inquit, in i lis, quæ voluptatibus valde ſunt deditæ veneris & inprim in gravidis, in virginibus autem exilem admodum eſſ Membranæ illius mediocriter denſæ & craſſæ ſunt, fiunt au tem denſiores tempore gravitatis, quippe ſubſtantia eju ſpongioſa eſt & cellularis, illamque concipere oportet, tan quam ex veſiculis compoſitam, quæ ſangvine turgentes i longum & latum illam extendant. Variant de membranæ i utero ſubſtantia Autores inter ſeſe, num membrana nerve an carnea ſit; *Galenus* alicubi tunicarum uteri ὑπαρξιν voc νευρώδην, alibi nomen hoc haud agnoſcit, eorumque opini nem, qui conſenſus uteri cum cerebro cauſam ad illius ne voſam referunt ſubſtantiam evertit, ex eo, quod ſic potiu peritonæo & ventriculo conſentiret, utpote partibus uter vicinioribus, quam ſit cerebrum utreo. At hoc non fit, ho ipſo tollit dogma de nervoſa uteri ſubſtantia. Ne cogatu autem *Galenus* conſenſus uteri neceſſitatem referre ad ſubſ ſtentiam nerveam, recurrit ad vaſorum amplitudinem *in pid. comment. lib. 6. ſect. 1. t. 1.* Negat autem plane nervoſa ſubſtantiam habere, ſed ait, ſecundum corporis ἀναλογία ne

rvea ſubſtantia donati ſunt, non autem ſecundum vim & tentiam nervorum.

§. IX.

Verumenimvero Uteri ſubſtantiam eſſe nervoſam, con- mat *Illuſtr. Wed.* dum dicit; Acetum ὑστεραλγὲς, eſt *utero micum in Theor. Med. pag. 154.* quia uterus nempe nervoſus & cum Ventriculo & Cerebro conſentaneus, & ſicut id- co acida utero, ita nervis ipſis ſunt valde ſuſpecta, unus e- n confluxus, conſpiratio una, conſentientia omnia eſt, in- it *Cous*; & *Galenus* ipſe *lib. 3. περὶ τῆς διαύτης ὀξέων t. 30.* con- tit, quippe hæc verba facit: Hippocratis ex ſententia xam mulieribus adferre oxymel, ὅτι ἡ δὲ μήτρα ἔστι νευρώδης, od uterus ſit nervoſus. Frigida enim nervis & nervoſis tibus potiſſimum noxia. Statuunt quoque nervoſam ſub- ntiam *Theophilus lib. 5. περὶ τῆς τῦ ἀνθρώπυ κατασκευῆς cap. 27.* λόγως ἄρα νευρῶδες ἅμα καὶ σκληρὸν μετρίως κατεσκεύασθη, non conſulto nervea, modiceque dura facta eſt uteri ſubſtan- . Et *Soranus.* Ἡ δὲ ὅλη, μήτρα κατὰ τὸ πλεῖον δυνάμεων, ἐστὶ ρώδης, σύγκειται γὰρ ἐκ νεύρων ὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ Φλεβῶν καὶ ηριῶν. Vulva ex majore ejus facultate eſt nervoſa, compo- ur enim non ſolum ex nervis, ſed & venis & arteriis, quia ta uterus valde dilatari & contrahi poteſt, quod nervoſa- m partium proprium & familiare eſt. Interim tamen non ſolute negamus quoque carneam uteri ſubſtantiam, quip- totum uterum conſtare ex duabus tunicis inter ſeſe ita in- rmatis, ut chartarum villis ſint perſimiles, ex Anatomica ctione ſcimus, nimirum externa & interna: Interna car- a, denſa, mollis & rubicunda eſt, externa vero tunica per- cta, dura, levis & candida.

§. X.

Autorem autem primarium in noſtra ægrota eſſe Ute- m, id expreſſe & pulchre quoque indicat *Hippocrat. lib. περὶ*

παρθενίων, quod huc ponere & legere admodum neceſſarium duximus, verba ejus ſunt valde ponderoſa, ſymptomata enim fere omnia in caſu hoc occurrentia, & quæ in noſtra ægrota jam ſunt recenſita, innuunt: Αἱ παρθένοι ὁκόσῃσιν ὥρῃ γάμῳ παραν δεδμέναι, τοῦτο μᾶλλον πάσχουσιν ἅμα τῇ καθόσῳ τῶν ἐπιμηνίων πρότερον ἢ μάλα ταῦτα κακοπαθέουσαι. ὕστερον γὰρ τὸ αἷμα ξυλλάβεται ἐς τὰς μήτρας ὡς απορευσάμενον. ὁκότ ἂν δ τὸ σῶμα τῆς ἐξόδου μὴ ᾖ ἀνεσομώμενον τὸ δὲ αἷμα πολὺ ἐπιῤῥέῃ, διά τε σιτία καὶ τὴν ἄυξησιν τοῦ σώματος, τυνικαῦτα ἀνάγκη ἔχον τὸ αἷμα ἔνερθεν, ἀναίσει ὑπὸ πλήθεος ἐς τὴν καρδίαν, καὶ ἐς τὴν διάφραξιν· ὁκόταν δ' ἂν ταῦτα πληρωθέωσιν, ἐμωρώθη ἡ καρδίη εἶτα ἐκ τῆς μωρώσιος νάρκη· εἶτ' ἐκ τῆς νάρκης, παράνοια ἔλαβεν. ὥσωερ ὁκόταν καθημένου πολλὴν χρόνιαν, τὸ ἐκ τῶν ἰσχίων καὶ μηρῶν αἷμα, ἀποπιεχθὲν ἐς τὰς κνήμας καὶ τοὺς πόδας, νάρκην παράχῃ. ὑπὸ δὲ τῆς νάρκης, ἀκρατεῖς οἱ πόδες ἐς ὀδοιπορίην γίνονται ἐς ἄν ἀναχωρήσῃ τὸ αἷμα ἐς ἑαυτό. ἀναχωρέει δὲ τάχιστα, ὁκόταν τις ἐν ὕδατι ψυχρῷ τεγγέπωδὲ ἄνω τῶν σφυρῶν· αὕτη μὲν οὖν ἡ νάρκη εὐήνοι· ταχὺ γὰρ παλιῤῥόει, διὰ τὴν ἐθύτητα τῶν φλεβῶν. καὶ ὁ τόπος τοῦ σώματος οὐκ ἐπίναιος· ἐν δὲ τῆς καρδίης καὶ τῶν φρενῶν βραδέως παλιῤῥόει. ἐπικαίσιαι γὰρ αἱ φλέβες καὶ ὁ τόπος ἐπίναιος· ἔστε παραφροσύνην καὶ μανίην ἕτοιμος· ὁκόταν δὲ πληρωθέωσι ταῦτα τὰ μέρεα καὶ φρίκη ξυμπυρετῷ ἀναίσῃ πλανίτας τοὺς πυρετοὺς καλέουσι.

Virgines, quibus prope nuptiarum tempus inſtat, ut viri conjungantur, iſtud ſub menſium defectum magis experiuntur, cum antea his malis non admodum conflictarentur. Poſtea enim ſangvis in utero continetur, veluti qui effluere debeat. Cum igitur exitui via minime pateat, copioſus autem ſangvis per cibos & corporis incrementum affluat, tunc ſangvis effluvio carens, propter copiam cor & ſeptum transverſum reſilit. Ubi igitur hæc oppleta fuerint, cor obſtupeſcit, indeque torpor, & ex torpore dementia invadit. Non ſecus, ac ſi quis diutius ſedeat ex coxis & femoribus tibias & pedes depreſſus ſangvis, torporem adfert, ex qu

ped

des ad ingrediendum impotentes redduntur, donec sanis ad se reverterit, qui celerrime recurrit, si steterit in aqua gida, quæ malleolos superet. Hic igitur torpor facile rellitur, cito enim propter venarum rectitudinem recurrit, cusque hic corporis inter præcipuos non habetur. At ex rde & septo transverso s. diaphragmate tarde recurrit cum næ obliquæ sint, & locus præcipuus, & ad delirium & insam opportunus. Cum autem hæ partes oppletæ fuerint, am horror cum febre irruit, febres inerrantes appellant. deoque ex his satis abundeque videmus, quomodo viscera imæ, secundæ & tertiæ, ut taceamus Helmontii viscera artæ, quintæ vel sextæ concoctioni sint destinata, ut sunt r, epar, lien, ventriculus & reliqua, ni vitium hoc in prima, ulto minus in secunda & reliquis, coctione corrigi possit, m partes humorum multæ impuræ, crassæ, viscidæ & tarcæ magis magisque coacervantur ab ingurgitatis cibis acis & duris, quæ, si mixtio sanguinis cum illis peracta obstruionem meatuum & pororum causant, colorem vividum & seum exeunt & abigunt, & ex adverso coloris pallidi & vi- si in cute qualitatem referunt hac ratione, ut febris exinde iri possit, color enim, ut faciei, ita totius corporis testatur oque de statu sanguinis, hinc, subjugatis particulis oleosis lsamicis, a menstruum obstructione fit febris alba.

§. XI.

Subjectum adæquatum s. *secundarium* & *minus principale* totis machinæ microcosmicæ habitudinem esse dicimus, in prisautem sunt facies & oris labia, ut & collum & oculorum alpebræ, quia virgines utplurimum cute rariori sunt prædie, curam enim illarum tantum adhoc directam quotidie xperimur, quod manus, faciem, & collum nudum, tenerus & rarius lubenter amare soleant, & hanc ob causam ad borem difficilem & rudem difficulter moveri possint, æstio quoque tempore in solis umbra ad pulchritudinem & for-

nam faciei non mutandam ſedere ſoleant. Sic quoque partes hæ præreliquis corporis pallidum & fœdum colorem ac ſe facile trahunt; Obſervatur autem hic color pallidus & vitioſus non ſolum in virginibus, ſed & in juvenibus ſæpiſſime caſtis, pudicis & venerem nondum expertibus. Novimus enim quendam Studioſum, qui præſertim tempore Autumnali ita pallidus in facie evadebat, ut longum per temporis intervallum colorem huncce non ſine moleſtia ſumma patiretur, ſi vel maxime appetitus ad edendum & bibendum ſemper illi eſſet, & alios labores Academicos expedire poſſit nihilo tamen minus interdum triſtitiam & anxietatem cordis ſentiebat, quod autem lucubrationibus continuis & vigiliis nimiis, præſertim poſt prandium & cœnam ſumptam ſtatim factis ſtudiis, & hinc inde ſubſecutæ coctioni ventriculi & vaſorum lymphaticorum & meſaraicorum obſtructioni merito adſcribamus.

§. XII.

Progreſſum facimus ad *cauſam immediatam*, Ἀδύνατόν ἐστ εὑρεῖν τὴν θεράπειαν αἰτίαν μὴ διαγνώκότας πρότερον τὴν νοσοποιο impoſſibile enim eſt curationem invenire, niſi morbi effi ctrix cauſa prius ſit comperta, quam autem in definitione po ſuimus depravatam corporis nutritionem, a ſangvine variis humoribus, i. e. craſſa, viſcida, acri, ſalſa, acida, auſtera que lympha, ſive ſero connexo & permixto, originem ducen tem, quæ grumeſcentiam, & quandoque immodicam effer veſcentiam ſangvinis ob heterogeneitatem iſtarum partium ita inducit, ut virginum corpora cum colores nativi, vividi & floridi in pallidum lividum mutantur, mollia, laxa & ſubtumida redduntur, inpr. oculorum palpebræ & facies inflantur, ut in noſtra ægrota id obſervavimus, & ſic colo carnis in mutationem ſubit magnam ad humorum variorum colorem, unde mirandum haud nobis eſt, quod varia ſymptoma

omata gravissima, affectu ipso fere periculosiora, infra bre- explicanda, in hoc malo sint enata.

§. XIII.

Mediatæ proximiores Causæ sequuntur, quæ sunt humores gidi, pituitosi, salsi, acidi sangvinique admixti & omnem uditatem, impuritatem & obstructionem in corpore toto icientes.

§. XIV.

Hactenus e classe Causarum cognitis istis, quæ immeata & ex *Rerum Naturalium*, *Nonnaturalium* & *Præternaturam* copia, quæ abunde depromuntur, ut pedem figamus, or- & ratio methodi requirit.

§. XV.

Inter Naturales Causas (1.) *Temperamentum sangvineum phlegmaticum* primarium obtinet locum, quod quidem alias imum sibi relictum optimum censetur, ast putredini maxie obnoxium quoque est, quia phlegmaticum ad humores mulandns & generandos crassos, acidos, viscosos & salsos issimum esse dicitur, præsertim in sexu virgineo & fœmio laxas habente carnes, uti enim præ viris mulieres & virues serosiores pituitosiores & frigidiores æstimantur utplunum, adeoque errore Diætæ insigni apepsian Ventriculus ncipere & qua postea sangvis mixtus humoribus crudis & cosis hoc malum pallidum inducere potest.

§. XVI.

Dispositio (2.) *adscititia* & *acquisita*, multæ enim virginum veniuntur, quæ videntur chlorosi laborare, facie semper ilum & quidem ab infantia prima existente & aspiciente llida & livida, & nullo unico signo in facie coloris vividi & ridi unquam observante illarum; attamen sanæ sunt & na-

tura

tura nullius morbi expers, interim facili negotio hunc a
ctum bene aſciſcere poſſunt a talibus humoribus phlegm
cis præ aliis, coloris enim albi facilis tranſitus eſt in pallid
& lividum, niſi in rebus nonnaturalibus inprimis obſerv
velint Diætam ciborum & potus ordinatam, quia potentia
actum induci poteſt, ut in noſtra virgine factum, etenim
rentes nondum laborarunt hoc affectu, adeoque nul
Diſpoſitionem adeſſe exiſtimamus hereditariam.

§. XVII.

Ætas (3.) ſuum addit ſymbolum, cujusmodi in virg
bus annus pubertatis eſt, in virginibus enim adultioribus
noribusque, ſive menſas eruperint, ſive jam rupturi ſint,
ſertim quando aliquarum voluptatum & amoris illecebris
retiuntur, vividus & rubicundus color faciei diſcutitu
areſcit, contra vero pallidus & lividus in illis inducitur &
creſcit.

§. XVIII.

Sexis (4.) adeſt, competit hic affectus πρώτως virgin
viro maturis, poſtea vero viduis & maritatis ſterilibus, m
me & frequentius pulchrioribus, rarius autem choleric
deformioribus, quia conſtitutioni illarum ſangvis craſſio
nus nocet, ex ejusmodi aſſumtis ſangvinis craſſioris na
reſpondentibus, aliquam moleſtiam perſentiſcat, non ta
ſemper corripiantur, quippe alimentum alito ſimile uſurp
de pulchrioribus contrarium concludendum, legi de his
retur ulterius *Rodericus de Caſtro lib. 2. de morb. mul. c. 5.* D
rorum ætate & colore pallido dicere quid, non eſt hujus
nec quadrat ad hunc affectum noſtrum commode.

§. XIX.

Verumenimvero maxime attendi merentur *Cauſæ*
naturales, quarum data anſa externus error diſpoſitione
po

rentiam in habitum & actum magis deducere, & corpus
ostrum valde immutare poteſt alterare, quas communi or-
ne ratione modi agendi & afficiendi, quatenus pravo uſu
ceſſu vel defectu, poſitive vel privative ſ. κατὰ θέσιν ſive
ſ. ἄφεσιν, primario vel ſecundario peccantes deſtructionem
achinæ microcoſmicæ inferre valent, recenſere licet, di-
ngvendo & dividendo illas in internas & externas, vel quæ
tra, aut foris adveniunt, & quæ a nobis ipſis vel intrinſece
oficiſcuntur; illæ ſunt duæ priores, ut aër, cibus & potus;
vero ſunt poſteriores quatuor Nonnaturales, ut ſomnus
vigiliæ, motus & quies, excreta & retenta, & animi deni-
e pathemata.

§. XX.

Aër in ordine primo gaudet loco, cum menſe Sept. &
mpore autumnali plus juſto frigidior, humidior, aut plu-
oſus & ventoſus eſt, quam tempore æſtivo & hyemali, non
um exceſſus ſui notam & characterem internis viſceribus
quidem præ aliis utero, ventriculo & pulmonibus, ſi puta
poſitio æqualis reperiatur viſcerum, imprimit, ſed & ſæ-
ſime in iſtis, quæ eo tempore, quo menſtrua ordinaria flu-
m ſuum habent, aëris inæqualis, i.e. frigidioris, humidio-
, aut pluvioſi, ut ſupra diximus, conſtitutioni ſeſe com-
ttunt, omnem menſtrui ſangvinis evacuationem & purga-
nem ſupprimit unde *Hipp.* de anni temporibus, quæ mor-
s periculoſos excitare & producere poſſunt, & corpora no-
a immutare, recte ſcribit *ſect. 3. aph. 1. & 19* αἱ μεταβολαὶ τῶν
ὡν μάλιϛα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι
αλλαγαὶ, ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος; tempeſtatum anni muta-
nes potiſſimum morbos pariunt & in ipſis anni tempeſta-
us magnæ mutationes frigoris & caloris; Νοσήματα πάν-
μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται. μᾶλλον δὲ ἕνια καθ' ἑνίας
τέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται. Morborum genus omne
nibus anni temporibus exiſtit, ſed tamen eorum alii cer-
anni temporibus facilius exiſtunt & ingraveſcunt. Et

§. 4. Ἐν τῇσιν ὥρῃσιν ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρας ὁτὲ μὲν θάλπεϛ. δὲ ψύχος γίγνηται, φθινοπωρινὰ τὰ ιϛσήματα προσθέχεσ χρὴ. In ſingulis anni partibus cum eodem die modo ca ris, modo frigoris dominatu cœlum tenetur, autumna morbos expectare oportet. Additur quoque, quod tu temporis fructus horarii utplurimum ſint maturi, & in co tanta apud plurimas virgines & mulieres quoquè inger tur, qui non poſſunt non fermentum Ventriculi deſtruc concoctionem perturbare, cruditates inducere & coacer se, totumque corpus ad hanc diſponere labem.

§. XXI.

Secundum habet locum *Cibus* & *Potus* pravus, cui aut haud ſatis ſuperque notum & perſpectum eſſe, quant chloroſi ſive febri albæ occaſionem & moleſtiam det & cr nullus erit, arbitremur; præterea etiam, quod multæ vi num, quibus Deus omnipotentiſſimus formam pulchritu nis in facie ad juvenes magis placendos & ab illis laudan haud donavit, in morbum ipſum incidant & ſimul peccat magnum committant, dum rebus noxiis & periculoſis & corpus & partes reliquas mutriendas ineptis fruantur, c medunt enim cretam, terram, calcem & ſimilia, & bibun cetum acerrimum ad abigendum ex facie colorem vivid & inducendum album, juxta ſententiam vulgarem virgin pulcherrimum; & lac agitatum, ut floridum, rubicundun naturalem a Deo ſapientiſſimo, Conditore omnium rerun piis co ceſſum, perderent colorem faciei, quippe ruſtic eſſe rubeum in facie referunt. Exemplum narratum n fuit a quodam Amico, cum in Academia Jenenſi Studior gratia me commorarer, virginem primariam alias pulch & piam ibi fuiſſe, quæ colorem faciei album ita amabat, quoque illum acquireret ſtatim, cupidiſſime commedit t tam cretæ quantitatem, ut voti quidem compos brevi fa fuiſſet, aſt & ſimul chloroſi laborare incepiſſet cum m

ſtru

ruorum ſuppreſſione, & vitam cum morte commutaſſet. urimæ etiam virginum & viduarum cibos acidos, & viſci- os, aut muriaticos in maxima quantitate Ventriculo inge- nt ædeo, ut fermentum illius acido ſalinum obruatur, Ven- iculus ipſe gravitetur & labefactetur, ut cruditates, obſtru- iones, & inde morbi exiſtant, dicitur autem ſecundum ommune proverbium: Ne quid nimis. Et divus *Cous* no- er inquit *lib. de Vet. Med. c.24. t.20.* Ἔνι γὰρ ἀνθρώπῳ καὶ πι- ὸν, καὶ ἀλμυρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ὀξὺ, καὶ στυφνὸν, καὶ πλαδαρὸν, ὶ ἄλλα μυρία. Ineſt enim in homine & amarum, & ſalſum, & ulce, & acidum, & acerbum, & fluidum & alia infinita, quod mnino de ſero valet & ſangvine, allegavimus id maxime, uippe in virginibus plurimis in cibis ingerendis acidis, ſal- & muriaticis nulla obſervatur mediocritas, nullumque apus, propter menſtruorum purgationes & evacuationes; otum quidem hic illud:

Vult acidum Stomachus, pulmo dulce, hepar amarum.

t, ſi modo cum grano ſalis id accipitur & cætera reſpon- nt. Valent multo potius cibi γλυκροὶ, nutribiles, dulces, me- ocriter aromatiſati, quippe nutriunt corpus, nutritio au- m eſt repletio abſumti. Potum quod attinet poſt ſaltatio- m & motionem nimiam ſumtum frigidum, hunc affectum multis ſymptomatibus graviſſimis inducere non poteſt n, & quidem ut in hiſtoria & paſſim jam recenſuimus, illa ala inducere. Et quidem fuit hauſtus cereviſiæ triti ex agnus frigidus; multo potius cereviſiam frigidam ad nacem breve per tempus ponere & a motione ulteriori ni- o & ſaltatione abſtinere debuiſſet ægra noſtra, & poſt- am de ſua frigiditate aliquid remiſit, deinde in uſum tra- potuiſſet; iſtudque ſine ullo ſanitatis præſentis diſpendio; t tali modo, quemadmodum factum eſt, ſpiritus & humo- poſt hauſtum ſtatim diſſipati, digeſtio & concoctio cibo- m in Ventriculo perturbata, fermentum Ventriculi ab hu- ditate frigida & largiori, vel ut rectius loquar, ſuperfl á

peſſundatum, & nimis fluidum redditum ſalia in M Sgvir
nimium diluta ſunt, & ab iis inertibus factis ſulphur non
bito modo expanſum eſt, facile & intra breve temporis ſ
tium noſtra ægrota, quæ antea optime ſana erat, in mome
periculum ſubitanea ſpirituum & humorum alteratione
portaverat, & inde graviſſimas mutationes in corpore exp
ta fuerat, & pallidum colorem faciei ſive chloroſin cum ſy
ptomatibus gravibus ſibi attraxerat; alias experientia p
bari poteſt, ipſam mortem inſecutam penes multas poſt
tum frigidum celeriter inhauſtum & ingurgitatum a ni
corporis motu, & hinc calore vehementiori excitato eff

§. XXII.

Sequitur *Motus*, qui *moderate* inſtitutus coctionen
Ventriculo, calore temperato acceſſo & propulſione &
ſipatione per corporis poros & meatus ſuperfluitatum
dundantium fuliginoſarum promovet, & appetitum a
debito modo, ſpiritus & humores in ſua activitate con
vat; *Intempeſtive* vero & *exceſſive* inſtitutus, imprimis ſtat
paltu factus motus ad ſaltandum, ſicut in ægrota noſtra,
ritus diſſipat, in celerem motum cordis ducit, multam in
ducit cacochymiam, ἀπεπψίας Ventriculi, palpitationer
anxietatem cordis, uterum aſſurgentem, febrim aliaque
la efficit. *Defective redditus*, ſive *intermiſſus motus*, verbo &
quemadmodum multæ virgines teneriores inveniu
quæ vitam ſedentariam amant, totum per diem fere &
pus ſuum plumulis affixæ, nendo, fila trahendo, vel n
garriendo quoque aliisque negotiis pluribus conſum
tunc malo fores aperiunt, ignavia enim corpus hebetat,
mores calidos ſupprimit frigidos & pituitoſos exaltat,
autem firmat, circulationem ſangvinis promover, alian
utilitatem corporis totius creat, ut ſomnum efficit ſvavi
de nocte imprimis, id quod veriſſimum ſit, filiæ ruſtic
exemplum nobis præbent haud exiguum, laboribus ſe

ditæ motionique, quarumque faciei idcirco videtur flori-
s & vividus color, quemadmodum præter ocularem in-
ctionem *Hipp.* ipse fatetur, cum docet, cutis efflorescen-
s se habere, prout humores, a quibus descendunt, se ha-
erint; rarius a. pallidus, nulla murmura, nullos ructus,
llam cephalalgiam, nullam inappetentiam, cordis palpita-
nem, & anxietatem, & sic porro ob laborem totum per
e diem expeditum sentiunt; uti enim otiosam & seden-
iam vitam habet suspectam jure merito *seca. Stagiritæ Ari-*
elis, omnium Philosophorum Principis lib.4. de Generat. Animal.
.6. quippe ructus excitat e Ventriculo, humores reddit
pidos, viscidos & glutinosos, pituitam in corpore & primis
s adauget, qua adaucta in Ventriculo, utero & intestinis
culatio sangvinis impeditur, spiritus supprimuntur, &
loros cum symptomatibus variis, ut vomitu, menstruo-
emansione aliisque inducitur. Quieti quoque associa-
otium nimium & intempestivum, cachexiæ virgineæ pro-
omus & promicondus, morbus familiaris illis virginibus
primis, quæ cuticulam curant & celsa dominantur in aula;
æterea ad venerem illicitam, sive ad lasciviam & mala inde
ata alia impellens & concitans, juxta Poëtæ illud:

Otia si tollas, periere cupidinis arcus:

§. XXIII.

Somnus & *Vigiliæ* non parum conferunt ad affectum no-
um, & ob summas in corpus nostrum alterationes maxime
sanam vel ægram vitam faciunt. Et quidem Somnus τῶ
τρὶς μᾶλλον γενόμενος plus justo institutus, quippe nativum
rporis calorem habetando, concentrando & dissipando di-
ersimode cruditates & obstructiones inducit, & præcipue
gentem excrementorum copiam in utero coacervat, ibi-
e supra terminum consvetum retinet, colorem sic in facie
ficit & consequenter in toto reliquo corpore pallidum &
itiosum: *Abruptus* autem *somnus*, sive *Vigiliæ*, ultra motum
orpus non tantum cale faciunt, verum etiam diutius, quam

par eſt, protractæ ſpiritus conſumunt, omnesque corpor
coctiones impediunt.

§. XXIV.

In huncce ordinem recenſentur *Excreta* & *Retenta*; I
Menſtruorum evacuatione denegata, quantum hoc malu
auget, inferius paulo accuratius & expreſſius dicturi ſumu
videtur fere unicum ſymptoma eſſe, quo de reliqua depe
dent, & quidem iſtud non ſine ratione prægnanti, quia
obſtructione vaſorum uteri ſangvis impurus, acidus & co
ruptelæ & putredini valdopere deditus rurſus tendens ad
mnes viſcerum partes penetrat & extendit ſe; tollitur eni
obſtructio illorum, & hinc fluxus menſtruorum aperit
purgatione, tollatur quoque chloroſis cum ſuis ſymptoma
bus; interim tamen quoque evacuationes in hoc caſu hum
rum pituitoſorum, acidorum & juxta *Chimicorum* ſententia
ſalſorum & tartareorum, aliorumque per alvum non ſunt i
termittendæ, ſed juſto tempore inſtituendæ, alias tetros fe
tidosque de ſe ſpargunt vapores unde ſangvinis purpu
deperditur. Evacuationes aliæ per venæſectionem, vel p
narium hæmorrhagiam, ſi nonnunquam poſterior evacuat
ſponte natura fiunt, adjumentum haud difficile porrigit
levamen.

§. XXV.

Concluſionem tandem *Rerum Nonnaturalium* faciunt
nimi pathemata, ut ſunt Triſtitia inpr. quæ multum tribuit
hanc labem, ſi ſcil. virginibus viro maturis, ut ſæpe fieri ſol
a viris & juvenibus quibusdam factæ perſvaſiones, promi
ſiones & verba alia multa haud ſufficere videntur & ſatisf
cere, ſed viris, aut juvenibus nubere cogitant, facili negot
in triſtitiam & mœrorem incidunt, ſi promiſſa illis nulla r
tione ſervantur, quem aliquando ſequitur quoque Ira, qu
ſi excedit, affectum hunc virgineum producere capax e

n excludendæ ſunt cæteræ animi paſſiones, ut ſunt Ter-
, gaudium nimium & voluptas illicita, quæ ex *Hippocratis*
ato aureo fere ſemper hujus chloroſeos cauſa exiſtit, qua-
non raro uteri furor & inſanus conjungatur amor, citra
ntis conſilium de re amata decenter ſuſceptum mentem
turbant & calorem præternaturalem ita excitant, ut con-
uenter inde febres aliaque oriantur neceſſe eſt vitia, ne
amus de *pudore*, ob quem Virginibus quibusdam menſtrua
arunt; & poſtea in cachexiam virgineam incidere illæ;
ura propter quarundam virginum colorem turpem, de-
nem & lividum expellendum & curandum, quomodo ex
erſo pulchritudinem vel naturalem, vel adſcititiam, i. e.
tam in facie, collo, manibus aliisque partibus acquirant,
exui maſculino eo melius haud diſplicerent, cordis ipſius
ietatem hancque labem aliaque plura expertæ fuere poſt-
ue exeſionem induxere; Aliquando innatus ſtimulus ad
erem ſerio amplexandam, maxime vero, ſi antea conti-
tiæ nimiæ carceribus, ac par eſt, fuerit conſtrictus, me-
holiam quoque excitare poteſt, quia amor inſanus cum
affinitatem habet, objecto determinato, quod res eſt ama-
, ab illa differens.

§. XXVI.

De Rebus N. N. dixiſſe ſufficiant, tandem *Res Praterna-*
les adgreſſuri ſumus, quæ inprimis ſunt viſcerum, alimen-
m coctioni & depurationi deſtinatorum intemperies
ida & humida vel pituitoſa, uterus quoque frigidior, &
in virgine noſtra ægrotante menſtruorum alias ordi-
& tempus ad fluxum conſvetum probe obſervato-
, jam evacuatio ſuppreſſa; quibusque conjungamus et-
febrim continuam & cachexiam virgineam, ſive malam
us corporis conſtitutionem & habitum.

§. XXVII.

Ex his autem cauſis ſupra jam laudatis varia ſymptoma-

ta

ta morbo virgineo fere graviora enata ſunt, ut (α) *Menſium ſuppreſſio*, a craſſitie, aciditate, viſciditate & glutinoſitate ſanguinis, quæ diætam inordinatam & motum nimium in ſatiando & hinc potando affectum graviorem, magis diuturnum & periculoſum reddiderunt, quippe obſtructio magni uteri & vaſorum videtur non minima cauſa, ſed ξυμφορὴ τ σων μυρίων τέ καὶ κακῶν morborum infinitorum malorumq congeries. Sic *Ariſt. lib. 2. περὶ ζώων γενέσεως cap. 4.* dicitu Μὴ γιγνομένων, ἢ πλειόνων γιγνομένων βλάπτει, ποιεῖ γὰρ ἢ σις, ἢ σωμάτων καθαρέσεις. *Si non ſit purgatio puta menſtrua, immodice ſit, damnum evenit. Aut enim morbi oriuntur, aut cor emarceſcit & extenuatur*; Et *Cous noſter divus*: τῶν καταμηνίων γινομένων ἀπὸ τῆς ὑστερῆς ξυμβαίνουσι νοῦσοι. *Menſibus non fluentibus, morbi ex utero contingunt.*

§. XXVIII.

Anxietas (β) *& Palpitatio Cordis*, quæ nil aliud eſt, quam ſpecies motuum convulſivorum, quos ſangvinis vitium quando is ipſe vel quantitate, vel qualitate peccat, cordi moleſtum producit. Illud v. accidere ſolet in plethora poſt menſium, ut hoc loco evacuatione ſuppreſſa, ſiquidem incrementum, & heterogeneitatem patitur ſangvis, adeoque ejusd pondus accreſcit, intendit ad Cor, gravat & anxietatem reddit, id agendum, ut grumeſcentia illius & obſtructiones tollantur & ſic liberior ſangvini tranſitus concedatur, quo fac poſtmodum natura ſponte ſeſe exoneret & abundant ſangvinis copiam & heterogeneitatem libere deponat.

§. XXIX.

Color (γ) *faciei aliarumque pallidus*, a partibus ſulphur ſeroſis, frigidis, acidis & aliis exaltatis & prædominium a ctatis reſultans. *Dolus* (δ) *capitis* a particulis ſangvinis ſa acribus, calidis aliisque mixtis ab utero & venis plurimis grandiſſimis illius copia & grumeſcentia ſangvinis hetero

complentibus, & ad caput ob cenſenſum & κοινωνίαν valde dentibus, totum occupantibus caput, venas cerebri præ- im capillares & ibi pariter dolores cauſantibus creberri- quare *Hippocrat. 6. ejusd. comment. 1. t. 2.* Ὁκόσοισιν περὶ ην ὑστέων ὀιδήματα ἐις καρηβαρίην τρέπεται κατὰ τὸ βρέγμα ὀδύ- άλισι; *quibus ex uteri Tumoribus in capitis gravitatem per- atio fit, in ſincipite dolores.* Et iterum *lib. 2. prædict. argum 37.* bus *colores, dum juvenes ſunt, pravi ſunt ad multum tempus & inentur, non tamen morbi regio modo, bi viri ſint, ſive fœmina vel ines, caput dolent.*

§. XXX.

Gravitas (ε) *& levis ventriculi intumeſcentia* adeſt, ob hu- es varios ſangvini admixtos; ab utero quoque ad Ven- ulum per conſpirationem unam affectantes; Etenim ſan- reſpectiva ſua immobilitate motum circularem tardat, ando in vaſis plus minus ſtagnat & grumeſcit, ſtagnando & grumeſcendo gravat, & fibres carnes & nerveas plus to modo replendo partes in tumorem attollit, & ſic pro- cohærentiam, intervenientibus nervis Ventriculus & munionem cum meningibus cerebrum ipſum cum triſti nium ſenſuum ſenſatione diſcutit, h. e., vapores ex illo e- entes & prorumpentes acres, imo non raro occulte quo- & acidi & flatuoſæ exhalationes ad caput dimittentes halalgiam in præcedente paragraph. jam illuſtratam ex- t.

§. XXXI.

Hinc *laſſitudo* (ζ) *totius corporis* ob ſupra dictam ipſam vitatem partium partim, partim ob ſpirituum animalium tum inordinatum & obſtructionem a ſangvinis particulis rogeneis & ineptis exiſtit. *Difficilis* (η) *reſpiratio* poſt ionem corporis facilem ob ſangvinis, ſicuti in reliquis ibus corporis, ut taceamus partes ventris inferioris ob- ctionem & intumeſcentiam glandularum illarum, mo-

tum diaphragmatis reddentem difficiliorem, ita in hac parti motum circularem auctum, qui etiam per pulmones in ma jori copia transire cogitur, ibi ob sui consistentiam crassio rem & venarum angustiam nonnihil ille hæsitat; hinc arte riarum & venarum dilatatio & extensio, radicum vero tra cheæ compressio & constrictio & per consequens exinde a ris interceptio & difficilis respiratio.

§. XXXII.

Pleuritis (♃) occurrit in hoc affectu virgineo, ob diffe fionem nimiam a parte membranosa factam & sangvine aci acido, falso ad pleuram per *ῥευματισμὸν*, dilatationem & ag tationem ille lancinavit membranam & dolorem causav punctorium, nervosis partibus ob sensum exquisitissimu essentialem. *Febricula* (ι.) *continua* cum *horrore* & *frigore l.* præsertim tempore antemeridiano ægrotæ nostræ molesta tat, quia simul calorem quoque se sentire querebatur; *Con nua* erat nostra sententia, quamvis tempore antemeridia magis infesta pro periodica haberi poterat, tali nimirum, qu nunquam omnino intermitteret, sed tamen quotidie ex cerbationem quandam haberet, ideoque nec erratica ve dicenda, quoniam exacerbationis tempus antemeridiant semper observabatur, neque incertum erat, neque quotid na proprie sic dicta, hoc est, qualis vulgo describitur; si maxime quotidie paroxysmum quendam haberet, ipsa er multo potius continua & quotidie crescens erat. Neque pr prie inter lentam febrim annumerari potest, licet colorib cæteroquin pallidis plerique adsignent ex levi putredine dissolutione humorum pituitosorum, crassorum, viscidoru acidorum & frigidorum deducentes; Ejusmodi ad hecti magis referendas putamus, quæ febris autem Chlorosi morbo virgineo annectitur, ab hectica toto die multifa differre videtur, febrem in virgine nostra ægrotante ort duxerimus a sangvine impuriori partim restagnante &

tredinem cauſante, partim ad cor retro meante & reſiliente per hepar & lienem, obſtructo antea menſtruorum exitu: horrorem autem comitatur, aut ſequitur febris aut calor præternaturalis, aſt calor nullus accedit, quod ne putredo vel diſſolutio quædam ei ſucco quidem advenerit; ita dicendum eſt de frigore ſummam cutem tenente & obſervante, quod a facultate excretrice propellitur, a particulis nimirum humorum heteroogeneis.

§. XXXIII.

Appetitus (*x*) *depravatus* quoque inter ſymptomata graviſſima non infimum habet locum, qui a fermento acido, ſalſo & pituitoſo Ventriculi oritur & inde debilitatem ita cauſatur, ut ulterius in actione ſua & quidem coctione icte perfecta impediatur neceſſe eſt. Nam licet acida, potiſſimum aromatibus vigorata appetitus primarii reſtauratores videantur, ſi nulla alia adeſſet cauſa, vel materia vitioſa nimirum appetitum impediens, quam privativa illius fermenti naturalis Ventriculi, hæc nervos ejus blande quidem afficiant, glandulas ſtringant & irritent & ſic officii ſui archæum commonefaciant; nihilo tamen minus appetitum quoque ultra modum exaſperant ex aſſumtis non raro copioſis, uti hoc caſu in ægra noſtra, acidis & acribus, ut ſic enormiter aucto hoc acido, perierit appetitus naturalis neceſſe eſt, in ſtomacho nempe balſamico calore ſuo deſtituto & per conſequens ad concoquendum prorſus inepto; unde dum humorum crudorum & pituitoſorum & craſſorum copia in prima culina colligitur, hæc una cum ciborum male coctorum reliquiis ibi non amplius pro ſuſcitando naturali edendi deſiderio blandam preſſuram, ſed dolorem nervis potius infert, gravitatemque & intumeſcentiam Ventriculi ipſius levem cauſſat.

§. XXXIV.

Ructus (λ) *acidi, a calore*, reſolvente humidum, ſed reſpective

ctive debili Ventriculi, resultante & exuperante acido, visc
do, laxitate & illius *ἀπεπσία* exorti sunt, & a mensium qu
que, regurgitantibus humoribus nimirum heterogeneis a
Ventriculum & primas vias alias, evacuatione suppressa;
cidos diximus cum *epitheto*, ad differentiam ructuum nidor
sorum a sapore & odore, quando particulæ acidæ, salinæ, n
trosæ, vel austeræ & ponticæ aliis humoribus commistæ
conjunctæ sunt, unde tales consurgunt similes ructus, qu
lis enim humor, talis flatus, qualis flatus, talis quoque ructu
Vomitus (*ω*) itidem tales, ructus fere affectus æmuli, uti eni
in ructu constringitur Ventriculus, sed minori impulsu,
expellendam materiam supra dictam vaporosam, nitrosa
acidam & similem instar utriculi inflati, sive magis vacui; i
hic in Vomitu constringitur Ventriculus & contentam m
teriam heterogeneam sursum, toto imperu annisus, ut extr
dat molestiam, humores, instar utriculi cujusdam repl
compressus, in ægra nostra exorti sunt ab humoribus acid
saporis vitriolici instar, bili quoque commiscibilibus aliisqu
dum archeus Ventriculi, officii sui memor, adjuvare seipsu
& extra pariætes suos eliminare materiam onerosam & inu
lem cogitat, adeoque per os, quæ molesta sunt, ejicit.

§. XXXV.

Pulsus (*υ*) *celer* & *frequens* adest ob particulas activas d
pressas, magnam in corde effervescentiam non causantes, u
de contractio, quæ alias longior foret, evadit brevior, qua
pulsus celeritas; pulsus *frequentia* autem propter partes sangv
nis crassas, viscidas, acidas aliasque partim, partim propt
spirituum cor moventium defectum, tota Massa sangvinea
contractione cor ingressa per dilatationem in arterias hau
propellitur, unde fit nova cordis dilatatio ad sangvinem in
plendum cor intrantem. *Urina* (*ξ*) apparet in ægra nost
alba, *crassa* & *mucosa* ob humores serosos & frigidos emine
tes inque toto corpore prædominantes, & sangvinis oleos

par

articulas & ſulphureas & volatiles balſamicas depreſſas & ubdominantes, dum aucta humiditas etiam in corpore hu-mano de ſtatu ſeri & ſangvinis quoad urinam teſtari poteſt.

§. XXXVI.

Adſoluta ſic hactenus Cauſarum, tum immediatæ, tum ediatarum proximiorum, tum remotiorum, & quidem ul-imorum ex rerum naturalium, nonnaturalium & præterna-uralium fonte & pariter ex his cunctis ſymptomatum in hi-toria recenſitorum explicatione & illuſtratione ſatis proli-a, ut nos convertamus ad hujus affectus chloroſeos, ſive norbi virginei *differentias* ratio & neceſſitas requirit, qui e-im bene diſtingvit, bene etiam docere & curare creditur, uippe haud parum in docendo, inprimis autem in curando, tilitatis præſtabunt, itaque proponemus more uſitato ratio-e *Generis*, *Subjecti*, *Cauſarum* & *Symptomatum ſecundariorum*. Quod *ratione* (1.) *Generis* ſciendum nobis venit, liquet, Chlo-oſin aliam eſſe *intenſiorem* cum colore pallido, livido, plum-eo & ſic porro, & graviſſimis ſymptomatibus ſimul; aliam *ero remiſſiorem*, ubi a naturali corporis & faciei ſtatu vix illa ecedit & ſentitur & ſymptomata non tam ſunt gravia & co-ioſa: aliam eſſe ἐν ἀρχῇ καὶ ἐν σχίσει, incipientem & fientem; liam ἐν ἄυξησι καὶ ἕξει, ſive in augmento & habitu perfecto: liam ἐν ἀκμῇ in ſtatu ſ. in perfectione & *confirmatione*; aliam tiam *recentem*, aliam *inveteratam*.

§. XXXVII.

Ratione (2.) *Subjecti*, aliam eſſe *univerſalem*, quæ totam achinam microcoſmicam cum omnibus ſangvinis & ſeri co-tioni & depurationi deditis & dicatis partibus occupat: ali-m *particularem*, quæ vel infimi ventris partem ſaltim, illæſo edio ventre, obſidet; vel medii ventris partem cum infimi imul occupat, illæſa ventris ſupremi regione.

§. XXXVIII.

Ratione (3.) *Cauſarum*, aliam oriri ab errore Diætæ: liam a viſcerum obſtructionibus & intemperie, hoc eſt, liam ab extrinſeca, aliam ab intrinſeca Cauſa; aliam ab ev cuatione menſtruorum ſuppreſſa, aliam non item. T enim ſunt cauſæ, quod ſunt differentiæ, a quibus hæc l bes dependet.

§. XXXIX.

Ratione (4.) *Symptomatum ſecundariorum*, aliam eſſe cu febre: aliam ſine febre: aliam cum vomitu frequenti a n tura per ſe facto: aliam cum nauſea cereviſiæ triticeæ, ut i virgine noſtra: aliam cum inappetentia & abhorreſcent vini, aliam non item.

§. XL.

Signa cum *Diagnoſtica* tum *Prognoſtica*, nobis veniun conſideranda; ſigna diagnoſtica autem rectæ curation claves ſunt & quilibet Medicus valet in curando, quantú in cognoſcendo, ſicuti enim *Tralliani* id verum eſt: ὁ ἄριστ γνῶς, ἄριστα θεραπεύει. Non intellecti nulla eſt curatio mo bi, ſive ſignorum, ſiquidem beneficio nos nil in morborur cognitione & curatione poſſumus præſtare; Et *Galenus* lib περὶ ἰατρῦ dicit: μέν᾽ δὲ ἂν ὁ τῶν σημείων ἔμπειρον εἰκότα ἐπιχειρέη, qui ſignorum cognitionem habuerint, is ſolus rit curationem aggredietur; ſi vel maxime non inficias eamu quod diagnoſis morborum incipientium multorum Medici ſit difficilis, ſiquidem δύσκολα τὰ καλὰ, tamen eos non de terrere debet difficultas hujus doctrinæ, ſignorum puta dia gnoſticorum ſive præſentium, quæ ſtudio & exercitio dili gentiori & frequentiori acquiritur. Interea hic optandun eſſet, ſi ſemper credere Medico licet ægrotis in recenſendi iſtis, quæ præ pudore intempeſtivo ad relevanda omnia ſin

cer

cere obmutescunt partim, partim præ dedecore nimio, per-
inacia & protervitate damnosa ob patrata delicta statim in
principio ad ea enumeranda, quæ Medico ad faciliorem fe-
icioremque curationem scitu maxime necessaria sunt, ta-
men cum bona & illæsa Medici conscientia & fama, perti-
cent, ut v. g. laborant quidam virginum vel viduarum men-
lium suppressione, mittantque certo tempore famulum, vel
lium & præter urinam medicis nihil offerant, vel dicere ju-
eant quid, tantum verbis hisce, Medicus ex urina morbum
neum jam præsentem perspecturus & cogniturus est, cum
amen urina quoque fallax & nulla ratione omnes morbos
ognoscere sufficiat, sit juxta illam pulsus, si præsens Medi-
us, sin vero absens, circumstantiæ aliæ plures collective sic
umptæ sunt referendæ & considerandæ, ex hisque certi
uid dijudicandum, alias Medicus facili negotio errare
oteſt cum haud parvo sui & ægroti damno; Quidam
tenim mihi ex Medicis sunt haud ignoti, qui mulieribus
ravidis fœtus inscite expulserunt; item de colore faciei
allido virginis vel viduæ alicujus non statim prædicendum,
hlorosi hanc vel illam laborare, quia notum esse arbitra-
ur, quod virgines & viduæ lascivæ & meretrices invenian-
ur, quæ in principio statim veritatem abnuunt illamque in
onfesso haud habent; sed potius dicunt, se nescire, un-
